

Libertas g  
cum fonte primo

Quid est libertas? Potestas uiuendi  
ut uelis. Quis igitur uiuit ut uult nisi qui  
recta sequitur?

Soli hoc contingit sapienti  
ut nichil faciat inuitus, nichil dolens,  
nichil coactus.

Quis neget omnes leues, omnes cupidos,  
omnes denique improbos esse seruos?  
An ille mihi liber cui mulier imperat,  
cui leges imponit, praescribit, iubet,  
uetat quod uidetur? Qui nichil imperanti  
negare potest, nichil recusare audet?  
Poscit dandum est, uocat ueniendum,  
eicit abeundum, minatur  
extimescendum. Ego uero istum non  
modo seruuum, sed nequissimum seruuum,  
eciam si in amplissima familia natus sit,  
appellandum puto.

Seneca libro X. rethorice sue.

Quid est enim libertas? Potestas uiuendi  
ut uelis. Quis igitur uiuit ut uult nisi qui  
recta sequitur,  
qui gaudet officio, cui uiuendi uia  
considerata atque prouisa est, qui ne  
legibus quidem propter metum paret sed  
eas sequitur et colit quod id salutare esse  
maxime iudicat, qui nihil dicit, nihil  
facit, nihil cogitat denique nisi libenter  
ac libere, cuius omnia consilia resque  
omnes quas gerit ab ipso proficiscuntur  
eodemque referuntur, nec est ulla res  
quae plus apud eum polleat quam ipsius  
uoluntas atque iudicium; cui quidem  
etiam quae uim habere maximam dicitur,  
Fortuna ipsa cedit, si, ut sapiens poeta  
dixit, «suis ea cuique fingitur moribus»?  
Soli igitur hoc contingit sapienti,  
ut nichil faciat inuitus, nichil dolens,  
nichil coactus.

Quod etsi ita esse pluribus uerbis  
disserendum est, illud tamen et breue et  
confitendum est, nisi qui ita sit adfectus  
esse liberum neminem. Igitur omnes  
inprobi, serui. Nec hoc tam re est quam  
dictu inopinatum atque mirabile. Non  
enim ita dicunt eos esse seruos ut  
mancipia, quae sunt dominorum facta  
nexo aut aliquo iure ciuili; sed si seruitus  
sit, sicut est, oboedientia fracti animi et  
abiectionis et arbitrio carentis suo,  
quis neget omnes leues, omnes cupidos,  
omnes denique improbos esse seruos?  
An ille mihi liber cui mulier imperat,  
cui leges imponit, praescribit, iubet,  
uetat quod uidetur, qui nichil imperanti  
negare potest; nichil recusare audet?  
Poscit, dandum est; uocat, ueniendum;  
eicit, abeundum; minatur,  
extimescendum. Ego uero istum non  
modo seruuum sed nequissimum seruuum,  
etiam si in amplissima familia natus sit,  
appellandum puto.

Marcus Tullius Cicero, *Paradoxa  
Stoicorum*, 5, 34-36 (J. Molager ed.,  
pp.118-19).